Si rectæ sunt asymmetræ potentia, sunt & longitudine, per 7 p 10 & quartam partem hujus. At ista omnia é definitione symmetrorum & asymmetrorum postulanda erant, & exemplo, si quid opus esset, declaranda. Sic principia etiam demonstrabilia fiunt Theoni. Hæc veró propositio, ut deinceps 11.14.15.16.17.18 p 10 attinet ad symmetriam & asymmetriam rectarum.

10 p Demonstrationem difficilem non habet, sed propositionis tamen ipsius materia é definitione & proportionis & symmetrarum, atque asymmetrarum magnitudinum multo clarior est. Falleret autem in numeris, ut in 4.6.2.3. Nec enim quia 4 ad 6 est compositus, ideo 2 ad 3 compositus est, & symmetria magnitudinum dissimilis est compositionis numerorum. Secunda veró pars propositionis hujus potest etiam per assumptionem & complexionem syllogisticam é prima deduci.

11 p Sententia problematis est.

Si duæ rectæ comparentur ad datam prior ut plani dissimiles, posterior proportionalis, inter utramque erunt ad datam asymmetræ prior re, posterior vi. Problematis (inquam) sententia hæc est: usus autem quinam sit considerato: Neque enim postea usquam appellatur. Et certé supervacaneum sit de problematis hujus utilitate quærere, cum omnia decimi libri problemata, quæ numero sunt duo & viginti, vel ad irrationalium inventionem, quo comparata sunt, plané sint inutilia: hæc veró propositio, ut decima, attinet ad symmetriam & asymmetriam rectarum.

12 p Demonstrare vult idem principium, quod axioma primum primi libri sumpsit. Elenchus hic idem est qui fuit ad 31 p 1. ad 11 p 5. ad 21 p 6. Lemma propositionis hujus falleret in numeris, ut 20.5.4. atque huc captiosissimus elenchus ille ex hac propositione ne redeat. Quæ eidem sunt asymmetra, sunt inter se asymmetra, ut l. 3, & l 9 sunt asymmetra ad 5, & tamen inter se sunt symmetra. Talis enim fuit elenchus ille. Quæ eidem inæqualia. Ergo hæc Euclidis & Theonis logica est in principiis demonstrandis.

13 p Assumptio & complexio est é proximo lemmate.

Si duæ magnitudines sint eidem altera symmetra, altera asymmetra, sunt asymmetræ. Ergo si sunt symmetræ, non erũt eidem altera symmetra, altera asymmetra. Sed si una symmetra sit, altera erit etiam symmetra. Valet etiam contrarium. *Ergo si sunt symmetræ, alteraque sit alicui symmetra, reliqua eidem symmetra erit.* Tales antea syllogisticarum complexionum demonstrationes fuere.

LEMMA DUPLEX.

Datis duabus rectis invenire quantum major sit potentior minore. item. *Quæ possit utramque datam.* Hoc utrumque lemma melius esset ad 1 p 4. Ex occasione enim illius propositionis & 31 p 3 hoc utrumque inventum est.

14 p Specialis est de lineis ad 10 p de magnitudinibus.

15 p Est eadem 30 p 7.

16 p Cõtinet assumptiones & complexiones é proxima, quales ante fuere ad 7.8.9.10.13 p 10. ita de propositionibus adhuc sexdecim videmus alias ex arithme-